



Runo Ludolfi Ducis Saxonie filius, & patruus Henrici Aucupis Regis Rom. insigne nomen reliquit vico, quem ille primus inchoauerat, qui ex illo dictus est Brunonis vicus, aut potius sinus, qui lingua Saxonum vocatur VVijck, hodie tamen communiter appellatur Brunsvich (tenui in asperam mutata, cuius etiam paulo ante mentionem fecimus in Hassia.) Est autem vrbis ea Ducatus Brunsvicensis metropolis, qui ab ea nomen quoque suum adeptus est, & magna admodum, populosa, mœnibus ac fossis munitissima, turribus ac propugnaculis firmata, decorata magnificis domibus, praepolitis plateis, amplis & ornatissimis templis, per quadrum tantum ferè habet longitudinis quantum latitudinis, complectiturq; in suo ambitu duo millia passuum. Est aliquāto maior Noriberga, & minor Erphor dia. Ad Orientem habet dioecesim Magdeburgensem, ad Meridiem Hartonicum seu Hercinium nemus: occiduam partem comprehendit Hildesheimensis episcopatus, & Septentrionem inhabitant Lunenburgenses. Hanc vrbem perlabitur Ornaca amnis, cui origo sylva est Hartonica; duasque in partes ciuitatem scandit, omnem secum trahens immundiciem, varijs vndique pontibus cooperatus. Tota vrbis in plano sedet, mœnibus ac fossa duplice profundissima & aliquo in locis triplici, ac qualibet aquis stagnante munita. Vallum etiam inter fossas crassissimum ductum per circuitum, varijs arborum conifitum generibus, non habet ciuitas aquam potabilem, sed communiter bibunt cereuifiam, Vini autem usus charior est & rarius. Inter cæteras Ducatus huius ciuitates haud potesta quoque erit Goslaria, quam Henricus I. pater magni Ottonis, vrbium amator in formam ciuitatis erexit. Anno 1051. Imperator Henricus 3. ingentibus regni florescens opibus, vrbem istam mirifice ornauit, quam de paruo molendino, vt aiunt, vel tugurio venatorio duo priores Henrici, & iste nunc tertius in tam magnam sicut hodie cerni potest vrbem bono prouexerunt auspicio, in qua regale palatum hic Imperator magnificè extruxit, & duas omnipotenti Deo congregations instituit. Dicitur Otto I. Imp. apud Goslariam argenti inuenisse mineras, quarum magni fuerunt reditus, ex quibus Imp. duo construxit sacerdotum collegia, & regium palatum nobilis operis. Abutentibus autem ciuibus suppeditatis diuitijs, offensus Deus permisit puteum vnum corrueire, quo casu mille homines & supra oppressi fuerunt. Et post illud tempus neque argentum neque aurum fuit amplius inuentum in eo loco sed plumbum nigrum. Peribent autem metallum Goslarie sic natum: Quidam nobilis homo equum cui nomen erat Ramelus, in monte ad ramum arboris alligauit. Is vngulis quibus ferre & solez inducta, terram quatit, verrit, atque ita reconditam plumbi nigri venam integumentis nudauit, non aliter ac Pegasus alatus aperuit fontem dum vngula ferie saxum. vt autem fons iste ex eo vocatur Hippocrene, ita montem incola Ramelum vocarunt, qui hodie maximè floret. atque admirabilem plumbi copiam suppeditat, Goslarie tantum inuenitur galena & pyritæ esse videatur. Ducatu huic vicinus & Halberstadiensis Episcopatus, itidem à metropoli eiusdem in eo nominis sic dictus. Perlabitur autem vrbem Halberstadium Oltensis fluvius. in medio vero tumulus assurgit, in cuius cacumine planicies est, duorum ferme stadiorum continens longitudinem, in cuius extremis angulis duo templa sita sunt, quorum alterum pontificale est. In medio latè pater forum, magnificis canonorum ædibus vndique circum: & hæc pars vrbis vocatur. Quod sub tumulo iacet, suburbium appellant. In monte nulla laicorum, vt vocant, habitatio Carolus Magnus huius Ecclesia fundator habetur. Est circa hanc ciuitatem ager optimus, ferox tritici. Maturescentibus frugibus, culmorum altitudinem equo insidentem hominem ferunt excedere. Magdeburgum fuit olim huius episcopatus Parochia; sed per Outonem primum ibi Archiepiscopatus est erectus, & Halberstadiensis dioecesis minorata. Fuit episcopatus hic primus à Carolo in loco Saltingstede fundatus, qui hodie Ostervvijck appellatur, & deinde in Halberstadium translatus.



